

cir maledictum pro Deo toleratum creare beatitudinem. Augustinus libro decimo quarto de Trinitate, capite. 15. hæc ait: Quid faciat animam beatam nisi meritum suum, & præmium Domini sui? Sed & meritum eius gratia, est illius, cuius præmium erit beatitudo ejus. Hæc Augustinus, qui manifeste dicit: meritum hominis, facere illum beatum. Et licet isti duo illustres viri satis clare, & aperte, hoc dicant, multo tamen melius hoc convincere possumus, ex verbis Pauli, dicentis: (2. Cor. 4.) *Id enim quod in presenti est momentaneum, & leve tribulationis nostra, secundum modum in sublimitate æternam pondus gloria operatur in nobis: Operatur dicitur, ut hoc solo nomine ostenderet esse meritum beatitudinis.* Nam Augustinus in tractatu super Psalmum 93, colligit ex istis verbis Pauli bona opera nostra esse pretium, quo emittit gloria cælestis. *Quid est æternæ gloria pondus operatur in nobis? Quibus operatur? Non respicientibus quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna. Noli esse piget laboras breviter, & gaudere incessabiliter. Hæc est requies sempiterna. Sine fine erit requies ista, sine fine erit gaudium hoc, sine fine erit lætitia ista, sine fine erit corruptio vita æterna. Habebis requiem, quæ non habebit finem. Quæto labore digna erit requies, quæ non habebit finem? Si verum vis comparare, & verum judicare, æterna requies æterno labore recte emittitur. Verum hoc est, sed noli timere. Misericors est Deus. Si enim haberes in æternam labores, nunquam pervenires ad æternam requiem. Ergo ut aliquando pervenias ad id quod emis, non æternam laborandum est: non quia non valeret tibi, sed ut possideatur quod emittitur. Digna est quidem labore emi perpetuo: sed necesse est ut labore temporalis ematur. Decies centena millia annorum in labore quid valent? Decies centena millia annorum finem habent: quod tibi dabo, Deus dicit: non habebit finem. Qualis misericordia Dei? Non dicit decies centena millia annorum labora: non dicit vel mille annos labora, non dicit quingentos annos labora. Cum vivis labora in paucis annis, inde requies erit, & finem non habebit. Verum est ergo, quod dicit Apostolus: (2. Cor. 4.) *Etiam quod est ad præsens temporale, & leve tribulationis nostra, juxta incredibilem modum æternam gloria pondus operatur in nobis. Ecce quantum præmium damus, quodammodo nam siquam ad accipiendos thesauros sempiternos, siquam laboris ad requiem incredibilem.* Hæc tunc Augustinus, qui etiam agnoscit, nostros omnes labores valde impares esse gloriae sempiternæ, tamen illos dicit esse pretium, quo emittit illa gloria æterna. Pretium quidem non est sua natura: sed ex misericordia divina, quæ voluit illam nobis tam parvo pretio venale exhibere, ut illam assequi possimus, quæ si justo pretio esset emenda, nunquam posset haberi. Jam nunc Calvinum obsecro, ut dicat nobis quare, tam temere monachis exprobaret, & illos substantiat, atque irritaret propterea quod dicant, per bona opera hominem mereri vitam æternam, quasi soli monachi hoc dixissent, & non omnes sacri Doctores ante illos. Ut autem lector agnoscat Calvinii temeritatem, & impudentem maledicentiam, verba illius citare decrevi. In libello suo contra acta Concilii Tridentini circa finem sextæ sessionis, ubi agit de merito bonorum operum, postquam negavit vitam æternam esse bonorum operum mercedem, hæc quæ sequuntur ait. Sed non nimium est erassulus monachos, qui nullum umquam certamen conscientie experti, nunc etiam vel ambitione*

110

inebriati, vel crapula, suo tantum idolo (papatem semper hoc nomine appellat) ventilitate se cupiunt de legis perfectione ita garrisse. Eadem securitate celum promercent exponunt: ipsi interea in presenti mercede, cui inhiant occupati. Hæc Calvinus. Ex quibus verbis, tanquam ex unguibus leonem, ut est in proverbio, facile poterit candidus lector estimare Calvinum, quoniam, ut ait Salomon: (Prov. 19.) *doctrina viri per patientiam noscitur.* Possent quidem facillime, si vellem, retaliare, sed malo silere, & patienter pro Christi nomine tales maledictiones tollere: quia Saluator dicit: (Matth. 5.) *Beati estis quum maledixerint vobis homines, & dixerint omne malum adversum vos mentientes.* Sed videamus causam propter quam in monachos, tot maledicta congesit: quia ut ille inquit, cælum promercent exponimus. Si hæc est causa propter quam nobis succenset, propter eandem vehementius irasci deberet, & invehi contra Augustinum, quia ille ante nos, ut ex verbis illius prædicationis constat, hoc aperte docuit: & nos illius auctoritate freti illud dicere audeamus. Sed credo Calvinum illud non legisse, alioqui non minus illi pepercisset, quam monachis. Denique hæc impia istorum assertio damnata est totius Ecclesie definitione. Nam Concilium Lateranense sub Innocentio tertio celebratum, capite primo, suorum decretorum hæc ait: Non solum autem virginis, & continentis verum etiam conjugati ad æternam fidem, & operationem bonam placentes Deo ad æternam merentur beatitudinem pervenire. Hæc Concilium Lateranense, & habentur in capite firmiter, de summa Trinitate, & fide Catholica. Et Concilium Tridentinum, sub Paulo tertio celebratum, sessione sexta, Canone trigesimo secundo suorum decretorum, hæc ait. Si quis dixerit hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint bona ipsius justificati merita, aut ipsam justificationem, bonis operibus quæ ab eo per Dei gratiam, & Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius æternæ vitæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriosæ augmentum, anathema sit. Hæc Concilium Tridentinum. Quæ omnia satis superque sunt ad convincendam istorum hæreticorum assertionem, qua dicunt, hominem per bona opera non posse mereri vitam æternam. Oporteret tamen respondere illorum objectionibus, ut sic nostræ & Catholice sententiæ veritas clarius videatur. Primo quidem obijciunt nobis, quod sumus Christo Redemptori nostro nimium ingrati, propterea quod nobis ipsis, & nostris operibus arrogamus meritum beatitudinis, quasi Christus non sit meritis ea nobis, aut meritum ipsius non fuerit sufficiens ad eam nobis impetrandam: sed opus sit illi à nostris operibus adjuvari. Hæc autem fateri tanta est impietas, ut nullus homo Christianus sit, qui hoc audire, non abhorreat. Hoc argumentum aut est mera calumnia, & aut procedit ex ignorania crassa: quia omnes qui hoc nobis obijciunt: eo ipso ostendunt se, non intelligere nostram sententiam, & quomodo dicamus bona opera, mereri vitam æternam. Nam, ut sæpe jam diximus, non ex nobis hoc habemus, ut bonis operibus mereamur vitam æternam, nec opera nostra sunt ex se tanti valoris, tantaque dignitatis, ut illis debeat gloria cælestis: sed homines & opera ad hanc dignitatem, & ad hunc valorem exaltata sunt per solam divinam clementiam, qua voluit obtemperantibus sibi promittere vitam æternam. Quæ promissione seclusa nullis operibus nostris, quantumlibet bonis illam homines assequi possent: quia omnia opera nos-

111

tra quantumlibet bona, sunt imparia tanto premio, & consequens illo indigna. Quod autem homines, & bona illorum opera sint Deo grata, & ad vitam æternam acceptata, hoc habent ex merito Christo, qui pro illis passionem, & mortem suam Deo patri obtulit, & pro illis omnibus, quos scivit esse ad gloriam prædestinatos, oravit. Nam ingrediens mundum, ut Paulus ait, dixit: *Hosiam, & oblationem noluisse, corpus autem aptasti mihi. Holocausta, & pro peccato non tibi placentur. Tunc dixi. Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, ut faciam Deus voluntatem tuam. Sequitur. In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel. Deinde cum jam vellet de mundo exire postquam pro discipulis suis Deum patrem passioni proximis oravit, statim addidit: (Joann. 17.) *Non pro eis autem rogo tantum, sed pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes sint tui. Hanc autem orationem, sicut omnes alias illius, ut Paulus ait, (Heb. 5.) exaudivit Deus pater, pro illa quam eidem exhibuit reverentia. Hinc ergo tanquam ex primo merito provenit omnis gratia, & omnis gloria: & inde pendet omnis divina acceptio, qua homines, & opera illorum acceptat ad vitam æternam. *Justificati gratis* (inquit Paulus (Rom. 3.) *per gratiam ipsius per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius.* Et iterum, (Ibidem. 4.) *Justificati ergo ex fide pacem habemus apud Deum, per Dominum nostrum Jesum Christum.* Et rursum, (Ibidem.) *Sicut per unius delictum, in omnes homines in condemnationem, sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ.* Et in alia epistola, (Tit. 2.) non solum de hominibus, sed etiam de bonis operibus per Christum à Deo patre acceptatis, ait: *Dedit semetipsum pro nobis, ut nos reddideret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Et Petrus exhortans nos deponere omnem malitiam, & dolum & simulationem, docentem modum, quo id recte faciamus, ait: (1. Pet. 2.) *Offerentes spirituales hostias, Deo per Jesum Christum acceptabiles.* Cum igitur hæc omnia corde integro & pleno ore fateamur, nihil Christi gloria derogamus, sed potius gloriam ipsius exaltamus, & illi arrogamus, quicquid in nobis habet aliquam rationem meriti. Quia non solum dicimus illum meritum esse nobis vitam æternam: sed etiam ut hoc nos bonis operibus nostris, illius meritis innitendo, mereri possimus: quod multo majoris est gloria. Nec tamen sic bonis nostris operibus meriti honorem Christus dedit, quasi suum sine nostris esset insufficientis ad vitam æternam promerendam. Absit. Erat enim Christi meritum, & est, sine nostris operibus sufficientissimum: sed ille noluit omnem sui meriti sufficientiam adultis, sine aliquo bono illorum opere applicare, quamvis hoc facile potuisset, si vellet: prout exhibuit infantibus. Neque hoc dicentes, meriti gloriam, ut nobis hæretici mendaciter exprobat, inter nos, & Christum partimur. Omnem enim gloriam Christo, & nullam nobis in hac parte tribuimus, ne gloriam, quam sibi soli Deus servatam esse voluit, arripere præsumamus. Nam & si aliquam rationem meriti nostris operibus tribuamus, illam tamen ipsi Christo ascribimus, ex cuius merito nobis datum est, ut nostris operibus aliquid mereri possimus. Et ideo hoc considerans beatus Bernardus sermone 61. super cantica dixit: *Meum meritum miseratio Domini. Non plane sum meriti inops, quamdiu ille miserationum non fuerit. Quod si misericordie Domini multæ, multus nihilominus ego in meritis sum.***

Tom. I.

Et si misericordie Domini ab æterno, & usque in æternum, ego quoque misericordias Domini in æternum cantabo. Numquid iustitias meas? Domine memorabor tuæ iustitiæ solius. Ipsa est enim & mea, nempe factus est mihi in iustitia Dei. Hæc Bernardus, qui meritum agnoscens, totum illud tribuit gloriæ Dei: quia ex misericordia Dei, sibi tale meritum provenisse intelligit. Secundo nobis obijciunt quod opera nostra, per quæ nos mereri dicimus, dona sunt Dei, quia nisi Dei dona essent, opera illa bona non essent, propter id quod Jacobus Apostolus, (cap. 1.) ait: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à patre luminum. Si dona Dei sunt opera nostra, consequens est, ut hæretici dicunt, homines per illa non posse mereri vitam æternam: quia non est rationi consonum, ut per id quod aliquis nobis donavit, aliquid apud illum mereatur. Si hoc argumentum aliquid valerit, etiam probaret, hominem per bona opera non solum vitam æternam, sed nec bona alia spiritualia, immo nec temporalia posse apud Deum mereri: quoniam si ad illa omnia comparentur opera nostra bona, non minus erunt dona Dei, quam si comparentur ad vitam æternam. At Philippus Melancton, & Joannes Calvinus, & Vittembergenses fateantur, opera nostra mereri præmia temporalia, & spiritualia. Non ergo pugnant inter se hæc duo, donum Dei esse, & meritum apud Deum. Dicimus ergo bona opera nostra esse dona Dei, & simul esse vitæ æternæ meritosa. Et hoc non ex nostro cerebro, ut hæretici faciunt, dicimus: sed testimonia sanctorum patrum nostri, qui multis ante nos sæculis hoc dixerunt, ex quibus aliquos præsentiarum citare decrevi, eos præsertim, quos isti hæretici in suam favorem citant, ut inde omnibus constet, quam male de illorum favore gloriantur. Bernardus sermone 68. super cantica, hæc ait: *Sufficit ad meritum scire, quod non sufficiant merita. Sed ut ad meritum satis est de meritis non presumere: sic carere meritis, satis ad iudicium est. Porro, infantium renatorum neminem carere meritis, sed Christi habere merita. Quibus se tamen indignos reddunt, si sua jungere quiverunt, sed neglexerunt. Quod quidem periculum jam adultæ ætatis est. Merita proinde de habere cures: habita, data noveris: fructum speraveris Dei misericordiam, & omne periculum evasisti, paupertatis, ingratitude, præsumptionis. Pernitiosa paupertas, penuria meritorum: præsumptio autem spiritus, fallaces divitiæ. Et ideo divitiæ, & paupertatem, ne dederis mihi Domine, ait, Sapiens 2. (Prov. 30.) *Fœlix Ecclesia, cui neque merita, sine præsumptione, neque præsumptio abque meritis deest. Habet unde præsumat, sed non merita. Habet merita, sed ad promerendum, non ad præsumendum. Ipsum non præsumat, nonne promereri est? Hæc Bernardus. In quibus verbis id potissimum annotare oportet, quod merita nostra dixit esse dona data, & præmium respondens meritis esse ex misericordia Dei, ac proinde non esse præsumendum de meritis. Augustinus in epistola ad Sixtum Presbyterum, quæ est in ordine 105. disputans contra Pelagianos, qui falso putabant meritum hominis precedere gratiam Dei, ait: *Sicut enim ab initio fidei misericordiam consecuti sumus, non quia fides eramus, sed ut essemus: sic in fine, quod erit vita æterna coram nobis nos sicut scriptum est, in miseratione, & misericordia. Non itaque frustra Deo cantatur: (Psalm. 38.) *Et misericordia ejus præveniet me. Et misericordia ejus subsequatur me. Unde & ipsa vita æterna, quæ utique in si-*****

Ccccc

112

ne, sine fine habebitur, & ideo meritis precedentibus redditur, tamen quia jam merita quibus redditur, non à nobis parata sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta per gratiam, etiam ipsa vita æterna gratia, nunce paratur: non ob aliud, nisi quia gratis datur, nec ideo quia meritis non datur, sed quia data sunt ipsa merita, quibus datur. Hac Augustinus. Ecce duos, Augustinum videlicet, & Bernardum, de quibus hæretici falso & impudenter gloriantur, quod illorum sententia, cum tamen ab illa longissime discendant, prout ex verbis illorum, quæ nunc proxime citavimus apertissime constat, Itis etiam consentit Chrysostomus, qui homilia prima de Adam & Eva, post multa argumenta, quibus probare nititur omnè bonum nostrum à Deo proficisci: & nullum vere bonum posse nos sine Dei adjutorio agere, hæc quæ sequuntur, ait: His ergo Ecclesiasticis regulis, & divina sumptis auctoritate documentis, ita adjuvante Domino confirmati sumus, ut omnium bonorum affectum, atque operum, & omnium studiorum, omniumque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum proficamus auctorem, & non dubitemus ab ipsius gratia omnia hominis merita provenire, per quem item fit, ut aliquid boni & velle inveniamur & facere. Quo utriusque auxilio & munere Dei, non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur, ut de tenebroso luedum, de pravo rectum, de languido sanum, de imprudente sit providum. Tanta enim est erga omnes bonitas Dei, ut nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona. Hac Chrysostomus, qui nihil manifestius pro nostræ sententiæ favore dicere poterat. Denique Celestinus Papa, hujus nominis primus, in epistola sua prima, Canone 12. ait. Tanta erga omnes homines est bonitas Dei, ut nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona, & pro his quæ largitus est, æterna præmia sit donaturus. Hac Celestinus. Ex istorum illustrium viro-rum testimonio, jam satis constat, quam parum valeat hæreticorum obiectio, quia nituntur merita hominum obruere per hoc quod sunt dona Dei. Ex his etiam constat, quare Paulus vitam ipsam æternam appellavit gratiam, dicens: (Rom. 6.) Gratia Dei, vita æterna. Et Zacharias (cap. 4.) ait: Adequabit gratiam gratia. Gratia enim dicitur ipsa vita æterna: quia licet detur propter merita, ipsa tamen merita sunt dona Dei gratuita, & merita non essent sine gratia. Ipsam ergo primam meriti originem considerantes, dicimus gloriam quæ meritis redditur, esse gratiam, quia ipsa opera, ut essent merita, ex gratia Dei habuerunt. Tertio obijciunt nobis illud Salvatoris apud Lucam: (cap. 17.) Cum feceritis quæ præcepta sunt vobis, dicite Servi inutilis sumus: quod debuimus facere, fecimus. Si inutilis sumus: ergo impletione mandatorum vitam æternam non meremur; quoniam si tali impletione mandatorum vitam æternam non meremur, non solum utiles in illa, sed utilissimi merito censendi sumus. Est enim ipsa vita æterna supremum bonum & utilissimum, quod nobis contingere potest. Deinde, si quod debuimus facere, fecimus, consequens est, ut sic faciendo nihil mereamur. Nam qui reddit quod debet, satis habet quod per hoc liberatur à debito & à pœna, quæ ab illo foret merito exigenda, si meritum non reddidisset. Fateor quidem nos omnes, etiam postquam omnia Dei mandata exequimur, debere existimare nos esse inuitiles ex nostra natura, & ex propria natura eorum quæ facimus: quia nec ipsa mandatorum impletio ex sua natura est tanti valoris, ut sit digna præmio vitæ æternæ, neque nos tot tantaque

vires habemus, ut per nos solos sine speciali Dei adminiculo mandata illius omnia exequi valeamus. Nam de mandatorum Dei executione, ut definitum est in Concilio Milevitano cap. 5. sapienter decretorum, Dominus loquebatur, quam dixit: (Joann. 15.) Sine me nihil potestis facere. Ex sola igitur misericordia divina, ut jam sæpe diximus, provenit nobis utramque, videlicet divinum auxilium, ad exequendum mandata Dei, & liberalitas ipsius Dei, quæ promittit se nobis daturum vitam æternam, si mandata illius servaverimus. Et quia hæc omnia non ex nobis, sed ex Dei misericordia procedunt, ideo Christus verus nostrum omnium magister, docet nos ne superbia-mus ex bonis, quæ facimus, sed dicamus nos esse servos inuitiles, existimando nos ipsos nihil eorum sine speciali Dei adjutorio facere potuisse. Et quamvis hoc facere possemus, non tamen propter hoc digni essemus, ut propter ipsa opera nobis præmium redderet: sicut nec servus est dignus præmio, propter quod servit Domino suo, cui ex servitute obedire tenetur. Et ideo Christus etiam docet, ut hoc agnoscentes dicamus: Quod debuimus facere, fecimus. Et hæc est altera non minor Dei misericordia, quod cum posset à nobis si vellet, sicut Dominus à servis exigere mandatorum suorum executionem sine ulla expectatione præmii, ipse tamen, ut vel hac spe nos ad promptiorem mandatorum observationem alliceret, ex sua misericordia voluit nobis tantum præmium promittere. Et hunc esse verum & germanum verborum Christi sensum, verba quæ præcedunt evidentè convincunt. Nam ante illa verba Christus hæc quæ sequantur, dixit: (Luc. 17.) Quis autem vestrum habens servum arantem, aut pascentem boves, qui regresso de agro dicat illi: Stamen transe, & recumbe, & non dicit. Para quod cenem, & præcinge te, & ministra mihi donec manducem & bibam, & post hæc tu manducabis & bibes. Numquid gratiam habet servo illi, quia fecit quæ ei imperaverat? Non puto. Hac parabola dicta, statim subdidit Christus hæc de quibus non contendimus. Sic & vos quum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutilis sumus, quod debuimus facere, fecimus. Ex quo verborum contextu apertissime constat nos ideo servos inuitiles dici, quia ex mandatorum Dei executione nullo præmio futuri digni: sicut nec servus est dignus præmio, propterea quod servivit Domino suo. Et huic interpretationi favet Theophylactus, qui prædictam Christi parabolam interpretans, ait: „ Monstratur enim per hanc parabolam, quod non oportet extolli in bono quopiam opere, immo neque in omnium mandatorum impletionem. Servo enim necessitas incumbit, ut faciat mandata Domini, neque ut bonum opus sibi ascribere debet. Quippe si non operabitur, dignior est multis plagis: quam autem operatus fuerit, contentus sit quod plagas effugerit. Proinde non oportet de hoc pretium, vel honorem querere. Liberalitatis enim Domini fuerat dare, immo largiri ei. Igitur & qui servit Deo, etiam si mandata perficiat, non debet extolli. Nihil enim magnum fecit, sed væ erit ei, nisi fecerit, sicut Apostolus dicit: (1. Cor. 9.) Væ mihi nisi evangelizavero. Proinde si dona fuerit assecutus, non debet in illis superbiere, & de eis se jactari. Beneficia enim sunt, per misericordiam Dei illi concessa, non quod debeat ei aliquid Dominus, immo servus debet Domino suo, ut faciat omnia ejus mandata. Hac Theophylactus. Scio alios verba illa Christi aliter interpretari, dicentes, ideo nos servos inuitiles esse: quia nullam Deo utilitatem ex nostris meritis præstamus. Et huic interpretationi favet Beda in Com-

men-

mentariis super Lucam, ubi prædicta Christi verba interpretans, utramque expositionem illius verbi reddit, sic inquiens: „ Si homo ab homine servo non uniforme, sed multiplex ministerium exigit, nec tamen ei gratiam habet: quanto magis vos, qui sine me nihil potestis facere, re non temporum longitudine, laborum merita pensare debetis, sed amore & famularum spontaneo novis semper studiis augere priora. Itaque dicite, servi inuitiles sumus. Servi quidem, quia pretio empti estis. Inuitiles vero, quia Dominus vestrorum non indiget. Si autem inuitilis est qui fecit omnia, quid de illo dicendum est, qui explere quæ præcepta sunt, vel infirmitate non potuit, vel quod pejus est, superbia despexit. Aliter. „ Servi inuitiles sumus, quia non sunt condignæ passionēs hujus temporis ad superventuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Hac Beda, qui duas reddidit illis verbis Christi expositiones, quarum secunda mihi multo magis placet: quia est litteræ magis germana: prima autem, ut ego sentio, longe à littera recedit: propterea quod non convenit parabola ad cuius exemplum nos admonuit, ut diceremus nos esse servos inuitiles. Nam servus qui homini servit, Domino utilis est, quamvis sibi non sit: non ergo de utilitate quæ provenit Domino, sed de utilitate propria ipsorum servorum Christus intellexit quum admonuit nos, ut diceremus nos servos inuitiles esse. Inuitiles ergo nobis sumus, quia nihil ex natura nostrorum operum quantumlibet bonorum, meremur: sicut nec servus meretur ex servitio, quod impendit Domino suo: quia facit quod ratione servitutis facere obligatur. Quarto obijciunt nobis, dicentes, quod si homines per bona opera sua mereantur vitam æternam, eo ipso licebit eis confidere in operibus suis bonis, & ex illis sperare vitam æternam. Qui autem hoc concederet, censeretur stultus, iudicio Salomonis, dicens: (Prov. 28.) Qui sperat in Domino, salvabitur, & qui confidit in corde suo, stultus est. Neque solum stultum, sed etiam maledicto obnoxium censet illum Hieremias, (cap. 17.) dicens: Maledictus homo qui confidit in homine. Et ideo David hæc incommoda metuens dixit: (Psalm. 43.) Nec enim in arcu meo sperabo, & gladius meus non salvabit me. Si ex operibus nostris, non licet sperare vitam æternam, sed ex sola Dei misericordia, inde convincitur, nos per nostrâ bona opera non mereri vitam æternam. Nam quilibet potest sperare præmium ex merito suo. Huic objectioni jam satis respondimus superius, in tit. de fiducia. Eo enim loco aperte ostendimus ex sacris litteris, & sanctorum testimonio licere homini confidere in operibus suis, & ex illis sperare vitam æternam, dummodo non totam suam spem ponat in illis, sed præcipuam, & potissimam fiduciam collocat in merito Christi, & misericordia divina. Ad illum ergo locum mitto lectorem: quoniam inde etiam multa arma capere poterit, quibus contra præsentem hæresim fortiter pugnare valeat.

Quidam adeo tribuerunt orationi, ut dicerent eam solum sufficere ad vitam æternam habendam, etiam si reliqua omnia deessent, & baptismus etiam: Hujus pestifera hæresis auctor fuit quidam Adelphus ex hæresi Psallianorum, aut Messalianorum, quod idem est. Hic Adelphus (ut historia tripartita narrat, cap. 11. septimi libri) dicebat nullam utilitatem ex sancto baptisinate baptizatis accedere, sed solum orationem studiosam inhâbitantem dæmonem effugare, quo ejecto per

illam orationem studiosam, Spiritus Sanctus adveniebat, & sensibiliter, & visibiliter suam designabat præsentiam: & corpus tunc liberari dicebat ab omni motu passionis, & animam à mala voluntate, ita ut nequaquam de cætero egeat, neque jejunio macerante corpus, neque doctrina refragante. Dicebat etiam eum qui hæc impetrasset, non solum liberari à passionibus corporis, sed etiam futura prævidere, & futura oculis cernere. An autem hic error fuerit omnibus Messalianis communis, mihi non est certum, sed suspicor ita esse. Nam historia tripartita in illo septimo libro, cap. 11. de hæresi Messalianorum differens, solum hoc dicit, quod Flavianus Antiochenus Episcopus de hac hæresi inquirens: accessit ad quemdam Adelphiū senem, quem hæretici Messalianorum infectum esse credebat, ut ab eo sciret, quid eorum doctrina copineret. Ab hoc autem Adelphiū præfatus Episcopus per blanditias, & fictiones quasdam exivit ea quæ nunc proxime narravimus. Unde conjicio hanc fuisse omnium Messalianorum sententiam. Adversus hæc hæresim non est opus disputare, quoniam est oratio bona sit, & meritoria si debite fiat, constat tamen ex sacris litteris eam solum non sufficere: cum alia multa præter orationem Dominus in lege præceperit, tanquam necessaria. Et nos supra in titulo de baptisimo hæresi 4. contra hos Messalianos, sive Psallianos, probavimus baptismum esse necessarium. Et in titulo de jejunio ostendimus jejunii virtutes, & ejusdem necessitatem. Ex quibus aperte colligitur orationem solum non esse sufficientem ad vitam æternam consequendam.

Secunda hæresis docet, nunquam esse cessandum ab oratione. Hanc hæresim constat esse Messalianorum, sive Psallianorum. Nam Augustinus in libro de hæresibus, cap. 57. dicit illos tantum orare, ut eis, qui hoc de illis audiunt, incredibile videtur. Quapropter Græce appellantur Eucharæ, id est grantes. Hujus hæresis non meminuit Guido in sua summa de hæresibus, immo nec de Messalianis in toto illo opere ullam fecit mentionem. Ut autem hanc hæresim convincamus, non oportet multum sudare, quoniam apertissimum est non esse possibile, ut homo semper oret. Nam necessarium est dormire: quod tempore nullus orare potest, quia tunc nullus est mentis usus, qui maxime in oratione exigitur. Nullus est enim, nisi solus Christus Salvatore noster, qui vere potest dicere illud quod in Cantica (cap. 5.) habetur: Ego dormio, & cor meum vigilat. Oportet etiam comedere, & bibere, & pro his acquirendis laborem aliquem moderatum, quamvis non sollicitudinem adhibere. Oportet etiam curam rei familiaris habere, quoniam beatus Paulus de viduis loquens, ait: (1. Tim. 5.) Si qua vidua filios, aut nepotes habet, distat primum domum suam regere, & mutuum vicem reddere parentibus: hoc enim acceptum est coram Deo. Et paucis interjectis subiungit: Si quis autem suorum, & maxime domesticorum curam non habet, siidem negavit, & est infideli deterior. Et non solum hoc in laicis hominibus est necessarium, sed etiam in Ecclesiasticis. Nam inter alia, quæ Apostolus enumerat tanquam necessaria, ut quis debite possit fungi munere. Episcopatus, hoc quoque addit, ut videlicet sic domus suæ bene præpositus. Si quis autem (inquit (1. Tim. 3.) domus suæ bene præposse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit? At quis non videt quantum impediat ab oratione illa rei familiaris cura? Taceo de cibo & potu, quoniam cum hi percipiuntur, nullus pareat orationi locus, præsertim vocali de qua hi Messaliani (ut conjici-

ce-

ere possum) loquuntur. Nam alia oratione quæ intra cordis latebras formatur, etiam comedens & bibens, quæ orare potest. Sic enim orabat Moyses, cui tacenti dixit Dominus: (Exod. 14.) *Quid clamas ad me? Clamabat enim corde, quamvis tacebat ore.* Cum ergo quis comedens, aut bibens, aut quodvis aliud opus agens Deum cogitat, pro cuius amore illa operatur, tunc vere orat. Quapropter beatus Paulus monebat Corinthios, (1. Cor. 10.) dicens: *Sive ergo manducatis, sive bibitis, vel aliud quid faciatis, omnia in gloriam Dei facite.* Et ad Colossenses scribens, iterum ait: (cap. 3.) *Omnia quaecumque faciatis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi, gratias agentes Deo, & patri per ipsum.* Et hoc modo intelligendum est id quod Paulus alibi dicit: (2. Thess. 3.) *Sine intermissione orate.* Ita ut B is dicatur sine intermissione orare, qui omnia quæ facit, in gloriam Dei facit. Alias enim non esset possibile sine intermissione orare. Numquid sine intermissione possumus genua flectere, corpus prosternere, manus levare, voces formare, ut de hoc dixerit Paulus, sine intermissione orate? Verum aliud nobis objiciant testimonium Messaliani, quo nos urgete putant. Nam Salvator noster apud Lucam, (cap. 18.) ait: *Oportet semper orare, & non desistere.* Ex quo loco Messaliani colligunt, numquam esse cessandum ab oratione. Hæc tamen Christi verba nihil illis suffragantur, quoniam non ita, ut putant, sunt accipienda. Augustinus in libro de hæresibus, ad Quodvultdeum, capite 57. dicit illa verba sic esse intelligenda, ut nulla dies absque oratione intermitteretur: ita quod Augustino idem est semper orare, & sine intermissione orare, & qualibet die orare. Eodem modo illa Christi verba, & similiter illa Pauli ex prima ad Thessalonicenses epistola, interpretatur beatus Anselmus in Commentariis super epistola Pauli. Bæda tamen in expositione super Evangelium Lucæ, duplicem expositionem tribuit illis verbis, sic dicens: *Quis autem potest ita semper orare, & sine defectu, & sine intermissione precibus insistere, ut nec alimentum fumendi, aut dormiendi tempus habeat? Aut ergo dicendum est eum semper orare, & sine defectu, vel intermissione, qui horis Canonicis juxta ritum Ecclesiasticæ traditionis psalmodiis, & precibus continuis Dominum rogare, & laudare non desinit. Et hoc est quod Psalmista dicebat: (Psalm. 33.) *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.* Aut certe omnia quæ justus secundum Dominum gerit, & dicit, id orationem esse reputandum. Hæc Bæda. Verum etiam horum clarissimorum virorum expositiones mihi placeant: aliter tamen & (mea quidem sententia) melius, forte videntur illa verba posse intelligi, quod videlicet Christus, & ejus Apostolus in illis verbis usi fuerint, quadam hyperbole ad rem exaggerandam, sicut & alias sæpe in facris litteris illa figura reperitur: quoniam (ut ait beatus Augustinus in libro de doctrina Christiana) sacra scriptura, quæ instar communis locutionis scripta est, eisdem utitur tropis & figuris, quibus communis modus loquendi utitur. Et ut res fit apertior, unum & alterum exemplum proferam ex facris litteris, in quibus hæc hyperbole reperitur. In Actis Apostolorum describens illa historia adventum Spiritus Sancti, & volens innuere multitudinem gentium, & nationum, quæ tunc erat Hierosolymæ, (cap. 3.) ait: *Erant autem in Hierosolyma habitantes Judæi viri religiosi ex omni natione, quæ sub celo est.* Quod nisi hic admittatur hyperbole, erit necessarium sa-*

teri tunc fuisse Hierosolymæ Hispanos, Gallos, Anglos, A Scotos, Æthiopes, Siculo, Bælicos, Sauromatas, aliaque innumeras nationes, quæ vix Niive, quæ civitas erat magna itinere dierum trium, capere potuisset, nedom Hierosolyma, quæ parvum, aut mediocre oppidum erat. Similiter Christus volens nobis suadere, ut quam secrete, & absque omni jactantia fieri posset, eleemosyna daretur, dicit: (Matth. 6.) *Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua.* At cum eadem in utraque manu sit anima, fieri non potest, ut sinistra nesciat, quod dextera facit. Sed est ibi quadam hyperbole, sive quidam excessus ad rem magis commendandam. Ita etiam Christus, ut nobis frequentiam orationis commendaret, dicit: *Oportet semper orare,* hyperbole quadam usus, semper pro frequenter accipiens. Eadem hyperbole usus est Paulus, dicens: (1. Tim. 5.) *Sine intermissione orate.* Alias enim fieri non posset, ut semper, & sine intermissione oremus, quibus necesse est comedere, & bibere, & dormire, curam rei familiaris habere, aliaque multa facere, sine quibus in hac misera vita esse non possumus, quorum aliqua orationis attentionem minuunt, alia in universum tollunt. Nec est quod amplius advertere hanc hæresim dispuetimus.

Tertia hæresis est, quæ cum his duabus precedentibus ex diametro pugnat: quoniam docet orationem esse profus inutilem, nulliusque virtutis, sine quibus plures habet fautores: qui quamvis non eadem via incedant, omnes tamen ad hunc tendunt scopum, ut orationis virtutem minuunt, & profus evolvunt. Pelagianus enim, teste Augustino libro de hæresibus, dicit: orationes quas facit Ecclesia pro infidelibus, & aliis peccatoribus, ut convertantur, sive pro fidelibus, ut perseverent, frustra fieri, quoniam ad illa omnia sufficere dicebat nostri arbitrii liberam potestatem, & ita non esse opus, ut Deo petere, quæ nos ipsi consequi possumus. Sed hujus hæresis fundamentum jam supra omnino evertimus, in titulo de gratia hæresi. ideo non est opus, ut Pelagianus iterum in hanc contentionem vocemur. Hoc solum de Pelagianis dicere decrevi, quod isti sunt sic antiqui gigantes, qui (ut Ecclesiasticus ait (cap. 16.) non exoraverunt Deum pro peccatis suis: ideo destructi sunt confidentes suæ virtuti. Sunt alii qui aliud non minus periculosum jecerunt fundamentum, super quod hanc pestilentem fabricam ædificare conantur. Petrus enim Abailardus, & Joannes Vvicleph, & Joannes Hus, & Martinus Lutherus, dicunt omnia necessitate absoluta fieri, neque posse aliter fieri quam sunt. Ex quo putrido fonte hic non minus vitiatas rivulus scaturit: superflua videlicet, & inanes esse orationes, quæ ad Deum mittuntur: quoniam si omnia necessitate absoluta sunt, frustra quis Deum orat pro ea re, quæ si futura est, etiam si non oret, eveniet: & si futura non erat, etiam si oret, nunquam eveniet. Hæc ergo ratione multi ex Lutheranis, è castris suis profus ejecerunt orationem, tamquam penitus inutilem. Lutherus tamen orationem probat: qua in re minime sibi constat, cum alias dicat omnia esse necessitate absoluta evenire. Adversus hanc hæresim tot sunt sacre scripturæ testimonia, tamque aperta, ut mirum sit hominem in sacris litteris, vel mediocriter versatum, in eam fuisse prolapsum, nisi talis sit qui sacris litteris detrabere velit. Illud in primis est apertissimum, quod ipse veritatis magister docuit nos orare. Nam cum dixisset non esse opus multiloquio in oratione, postea subiunxit modum, quo orare debeamus, dicens: (Matth. 6.) *Sic ergo vos ora-*

ora-

orabit: *Pater noster, qui es in caelis, sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum, &c.* Si res inutilis esset oratio, frustra nos docuisset Christus modum, quo orare debemus. Nec solum nos orare docuit verbo, sed etiam opere: quoniam ipsemet sæpe numero oravit, immo ut verius dicam, tota ejus vita fuit quædam perpetua oratio. Nam assumptis Petro, Jacobo, & Joanne fratre ejus ascendit in montem, ut oraret, & facta est dum oraret species vultus ejus altera. (Luc. 6.) Et cum mors ejus instaret, acerbiter illius reformidans, procidit in faciem suam, orans & dicens: (Matth. 26.) *Pater mihi possibile est, transeat à me calix iste.* Et illi qui adventum Spiritus Sancti expectabant, omnes erant unanimiter perseverantes in oratione. (Act. 1.) Quomodo ergo inutilis censetur oratio, quæ viam parat Spiritui Sancto, ut ad nos venire dignetur? Cum Christus Salvator noster eiecisset de corpore ejusdam hominis demonium, quod discipuli ejus prius non potuerant eiecere, dicit discipulis suis: (Matth. 17.) *Hoc genus non ejicitur nisi per orationem & jejunium.* Magna certe est virtus, quæ demonia eiecere valet. Præterea cum Paulus, & Silas in carcere adorantes laudarent Deum, subito terræ motus factus est magnus, ita ut moverentur fundamenta carceris. (Act. 16.) Rursum: beatus Jacobus in sua canonica epistola, (cap. 5.) plures orationis virtutis enumerat. Tristatur aliquis vestrum (inquit ille) ore a quo animo, & pallat. Ecce ad depellendam animæ tristitiam, postea subdit: *infirmatur quis in vobis: inducat Presbyteros Ecclesie, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum.* Ecce qualiter oratio prodest ad salutem corporis acquirendam. Sed audi jam quid dicat de salute animæ. *Conferimini* (inquit (Ibidem.) *alterutrum peccata vestra, & orate pro invicem, ut salvemini. Multum enim valet deprecatio iusti asidua.* Erubescant jam impudentes hæretici detrabere orationi, dicentes eam nihil valere, quam Jacobus Apostolus multum valere asserit. Et quo sententiam suam astruat, testimonio & exemplo Helie Prophetæ eam confirmat, dicens: (3. Reg. 17.) *Hellas homo erat similis nobis, passibilis, & oratione oravit, ut non plueret super terram, & non pluit annos tres, & menses sex. Et rursum oravit, & cælum dedit pluviam, & terra dedit fructum suum.* Vides jam quanta sit orationis virtus, quæ intra cælum pluvias continet, & inde eas deducere valet. Demum ut paucis virtutem orationis concludamus, Christus Salvator noster ait: (Matth. 21.) *Quaecumque petieritis in oratione credentes, accipietis.* Christus tanti facit orationem, ut si comitem habuerit fidem, eam sufficere dicat ad impetranda omnia quæ petiverimus: & hæretici non verentur dicere illam nullius esse momenti. Post hæc tam aperta testimonia extat de hac re Ecclesiæ definitio. Nam Concilium Toletanum quartum, capite nono suorum decretorum de oratione Dominica distulens, postquam præceperat, ut singulis diebus a quolibet Sacerdote dicitur, virtutem illius orationis explicans, ait: *Delet ergo hæc quotidiana oratio minima quotidiana peccata: delet illa à quibus vita fidelium, etiam scelerate gesta, penitendo in melius discedit mutata. Ergo sicut Christus præcepit, sic Apostolus monuit. Et quemmodum Doctores Ecclesiastici instituerunt, quæ quotidie, vel cogitatione, vel verbo delinquimus, quotidie, & hanc orationem effundere in conspectu Dei debemus. Quisquis ergo Sacerdotum, subjacentium Clericorum hanc orationem Dominicam, vel*

Tom. I.

quotidie, aut in publico, aut in privato officio præterierit propter superbiam, judicatus ordinis sui honore privetur. Hæc Concilium Toletanum. Et Concilium Milevitanum, cap. 8. suorum decretorum, contra Pelagianum, sic ait: *Item placuit, ut quicumque verba ipsa Dominicæ orationis, ubi dicitur: Dimitte nobis debita nostra, ita volunt à sanctis dici, ut humiliter & non veraciter hoc dicatur, anathema sit. Quis enim ferat orationem, & non hominibus, sed ipsi Domino mentientem? Qui labiis sibi dicit dimittere, & corde dicit, quæ sibi dimittantur debita non habere? Hæc Concilium Milevitanum. Ex cuius definitione hæc duo colligimus. Unum est quod omnes quomodo in hac vita sumus, subiacemus peccatis. Alterum, quod ad hoc ut illa dimittantur, Dominica oratio prodest, in qua dicitur: *Dimitte nobis debita nostra.**

Quarta hæresis asserit orationes, quæ uni personæ specialiter applicantur, non plus prodesse illi, quam si generaliter pro omnibus fierent. Hujus hæresis auctor est Joannes Vvicleph, dicens non esse orandum pro aliqua particulari persona, quia (ut dicit) oratio quæ pro uno solo fit, non plus prodest illi quam aliis. Hanc hæresim ipse Deus ore suo damnat, qui præcepit Eliphath Themanitæ, ut rogaret Job quatenus ille rogaret Deum pro ipso, & pro aliis duobus amicis suis, qui Deum offenderant, eo quod sic acriter reprehenderant Job. Et Dominus (ut scriptura testatur (Job. 42.) conversus est ad penitentiam Job, cum oraret ille pro amicis suis. Præterea cum Petrus Apostolus esset in carcere, oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo, & tandem oratio Ecclesiæ profuit Petro, quoniam misit Dominus Angelum suum, & liberavit eum de carcere, & de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Judæorum. (Act. 12.) Nec tamen illa oratio sic profuit omnibus aliis qui fuerant carceri mancipati. Aliquid ergo plus prodest specialis oratio, illi pro quo fit, quam aliis. Rursum beatus Paulus Thessalonicensibus scribens, dicit se pro illis orationem fecisse. *Gratias* (inquit (cap. 1.) *agimus Deo semper pro omnibus vobis memoriam vestri facientes in orationibus nostris, sine intermissione.* Si æque omnibus prodest orationes, quo sine Paulus sic aperte jactavit se fecisse memoriam Thessalonicensium in suis orationibus? Deinde ipsemet Paulus sæpe exhortatur, rogat, præcipit fieri orationes speciales tum pro se, tum pro aliis. *Obsecro ergo vos fratres* (inquit ille (Rom. 15.) *per Dominum nostrum Jesum Christum, & per charitatem Sancti Spiritus, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum.* Et alibi: (2. Cor. 1.) *Quoniam & adhuc eripiet de periculis, adjurantibus vobis in oratione pro nobis.* Et rursum: (Coloss. 4.) *Orationi instate in ea in gratiarum actione, orantes simul, & pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi.* Et in alio loco: (Thess. 3.) *Orate pro nobis, ut sermo Dei currat, & clarificetur.* Et ex istis duabus ultimis testimoniis sumpta est in tota Catholica Ecclesia, consuetudo illa invocandi Virginem Deiparam, in initio cujuslibet prædicationis verbi Dei, quatenus ipsa dignetur rogare Deum, ut aperiat prædicatori ostium ad loquendum, & aliis ad audiendum mysterium Christi. Frustra Paulus toties pro se petit orari, si omnium orationes æque illi prodesse poterant. Et pro aliis etiam speciales monet fieri orationes, dicens: (1. Tim. 2.) *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus qui in sublimitate constituti sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pie-*

Dddd

ta-

Ite. Ideo prædicatores verbi Dei Paulum in hac parte imitantes, in suis prædicationibus hortantur populum, ut speciales Deo offerant orationes pro rege, aliisque principibus, & prælatis Ecclesiasticis, ut naviculam, que in hoc mari magno, & spatiofo jactatur fluctibus, ad optatum portum perducatur. Demum ex 45. articulis Joannis Vvicleph, in Concilio Constantiensi, sessione octava, damnatis decimus novus hic est, quo sic ait: Speciales orationes applicatæ uni personæ, per Prælatos, vel Religiosos, non plus profant eidem, quam generales, cæteris paribus. Qui articulus simul cum aliis ejusdem Vvicleph, una super omnes lata sententia ibidem damnatus est.

ORDO SACRAMENTUM.

VIX unum, aut alterum est Sacramentum, cui Lutherus non det axerit. Quædam illorum negat esse Sacramenta: alia dicit non conferre gratiam: alia insuper vilipendit. Ordinem autem sic tractat, ut illum ab Ecclesia procul rejicere conatur. Dicit enim ordinem neque esse Sacramentum, neque in eo esse aliquam imparitatem, ut unus ordo sit alio, & dignitate, & potestate major: sed omnes Christianos dicit esse in eodem ordinis gradu. Hæc ergo via successively expugnare oportet. Primo ergo Lutherus dicit Ecclesiam Christi ignorare Sacramentum Ordinis. Nam juxta eum Sacramentum Ordinis nihil aliud est, quam ritus quidam elegendi concionatore in Ecclesia: quapropter asserit eum, qui non prædicat, non esse Sacerdotem, nisi æquivoce, quemadmodum homo pictus est homo. Ordinem denique ipsum dicit esse signum ex hominibus natum, nihil de re ecclesiastica, & de Sacramento intelligentibus. Primo ergo ostendere volo, in collatione ordinis gratiam conferri: deinde ostendendum, aperte ostendit id quod Paulus Timotheo scribens, ait: (1.4.) *Noli (inquit) negligere gratiam, quæ data est tibi per Prophetam, cum impositione manuum Presbyteri.* Quibus verbis Paulus satis aperte ostendit Timotheum suscepisse gratiam, cum promorus fuerit ad ordinem Sacerdotii. Et in posteriore epistola, quam eidem Timotheo scripsit, iterum pro hac re testimonium dicit in hunc modum. *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ in te est per impositionem manuum mearum.* Præterea ex vetustissimo Ecclesiæ ritu ab Apostolis ordo semper observatum est, ut tam ordinans, quam ordinatus, præsertim in sacris ordinibus, jejunus ad ordines accedat. Et hoc scriptura ipsa testatur, (Act. 13.) quæ refert Apostolos jejunantes, & orantes imposuisse manus Paulo & Barnabæ, quos ex præcepto Spiritus Sancti mittebant ad prædicandum Evangelium. Si in collatione ordinis nulla infernderetur gratia, non esset opus tanta preparatione. Sed quia certo credebant Apostoli gratiam Spiritus Sancti conferri iis, quos ad ordines facere promovebant, ideo jejunabant & adorabant, ut vel sic pararentur ad gratiam Spiritus Sancti recipiendam: quemadmodum olim cum adventum Spiritus Sancti expectabant, perseverabant unanimes in oratione. (Act. 1.) Et hæc jejunii causam assignat Leo Papa hujus nominis primus: cuius verba quoniam alteri proposito, etiam deserviant, infra citabimus. Et beatus Augustinus in lib. quæst. veteris, & novi testamenti, quæst.

93. (modo is liber sit Augustini) hoc etiam apertissimè docet. Verum quia supra in titulo de Melchisedech, apertissime convincimus illud opus non esse Augustini, ideo illa verba citare contempsimus. Si quis tamen sibi fidem facit librum illum esse Augustini, locum illi signavi, in quo illam sententiam inveniat. Ecce ergo ostendimus in collatione ordinis gratiam conferri: nunc opus est, ut ostendamus in tali collatione esse aliquod signum exterioris sensibile. Hoc autem clarissime ostendunt illa Pauli verba, ex epistolis ejus ad Timotheum (1. cap. 5.) nunc proxime citatis, quoniam ex illis patet, eum qui alium ordinabat, manus illi imponere, per quam manuum impositionem ordinem alteri conferebat. Quod ex aliis pluribus scripturæ locis etiam colligitur. Paulus enim admonens Timotheum ne leviter aliquem ad Sacerdotium promoveret, quin prius diligenter personæ meritum examinaret, sic ait: (Act. 6.) *Manus cito nemini imponis. Et cum Apostoli septem viros ex multitudine discipulorum electos, fecerunt Diaconos, orantes (ut dicit historia Apostolica) imposuerunt illis manus.* Ecce iterum cum ad diaconatum promoverent Apostoli, faciunt orantes, quemadmodum cum Paulo & Barnabæ imponunt manus, quia videlicet gratia in tali promotione erat conferenda. Concilium Carthaginense quartum capitibus 1. 2. 3. & 4. decernit Episcopum, Presbyterum & Diaconum debere ordinari per manuum impositionem. Et ex hoc signo, quo Apostoli uti sunt, etiam persuaderi potest gratiam conferri in susceptione ordinis, quoniam non est vero simile, manus fuisse ordinatis impositas ab Apostolis, ut corpus inani contactu attererent, & nulla spirituali gratia prodessent animæ. Parum enim proderat corpori manus imponere, si ex hac manus impositione nihil anima proficere debebat. Si ergo in ordinis susceptione conferretur gratia, & sub aliquo signo sensibili, convincitur inde ordinem esse Sacramentum. Et ut ostendamus hoc non esse recens Scholasticorum Theologorum inventum, aliquot veterum Doctorum citabo testimonia. Leo Papa in epistola nona, quæ est ad Dicoeum Alexandrinum Episcopum, dicens ordinem debere conferri, & suscipi a jejunis, sic ait: *Nam præter auctoritatem consuetudinis, quam ex Apostolica novimus venire doctrina, etiam facta scriptura manifestat, quod cum Apostolum Paulum & Barnabam, ex præcepto Spiritus Sancti ad Evangelium mitterent prædicandum, jejunantes & orantes, imposuerunt eis manus: ut intelligamus quantum dandum, & accipientium devotione curandum sit, ne tantæ benedictionis Sacramentum negligenter videatur impletum.* Hæc Leo Papa hujus nominis primus, vir sanctitate perinde ac doctrina illustris. Ex quibus verbis duo colligimus, videlicet quod ordo sit Sacramentum, & quod in ejus collatione conferatur gratia, quoniam ideo dicit jejunium & orationem præcessisse, ut digne recipiatur benedictio, quæ in tali Sacramento conferatur. Augustinus de baptismo contra Donatistas, de eodem baptismo & ordine loquens, sic ait: *Utrumque enim Sacramentum est, & quadam consecratione homini dandum. Illud quum baptizatur, istud quum ordinatur: ideo non licet in Ecclesia Catholica utrumque iterari.* Et Paulo post: *Neutri Sacramento faciendum est injuria. Et addidit de Sacramento ordinis: Sicur non recte habet qui ab unitate recedit, sed tamen habet: sic etiam non recte dat qui ab unitate recedit, & tamen dat. Et rursum ad utrumque revertsus subiungit: Non ergo ideo non sunt Sacramenta Christi & Ecclesiæ, quia*

eis illicite utantur, non modo hæretici, sed etiam omnes impii: sed illi corrigendi sunt, & puniendi, illa autem sunt agnoscenda & veneranda. Hæc Augustinus. Quibus verbis non semel fatetur ordinem esse Sacramentum. Jam credo quisque videt, quomodo effroni audacia jactaverit Lutherus Ecclesiam Christi ignorare Sacramentum ordinis, novamque esse ejus inventionem, cum ex Augustino & Leone Papa clare constet ordinem esse Sacramentum. Neque Augustinum, aut Leonem ab Ecclesia Christi abigere potest, quos eadem Ecclesia velut Sanctos censuit esse venerandos: neque eos dicit recentes Theologos, prout solet, nisi talem se existimet, ut ei mille anni sint, tanquam dies hesternæ quæ præterit. Hoc solum ergo superest nobis probandum, ut videlicet ostendamus non omnes ordines esse pares inter se, sed esse diversos intra hoc Sacramentum gradus, ita ut unus ordo sit aliique dignitate & potestate major. Et certe quisquis debita attentione consideraverit ea, quæ in veteri lege Mosæica ordinata sunt, de tabernaculo & Altari, & de Sacerdotibus, & aliis ministris Altari servientibus: facile inde cognoscet quasi ex umbra corpus, varios oportere dari in Ecclesia ordines, qui diversis in ministerio Altaris fungantur officis. Nam lex (ut ait Paulus (Heb. 10.) *umbram habebat futurorum bonorum.* Et idem ait, omnia in figura contigisse patribus illis. Ab umbra igitur ad suum corpus, à figura correspondentem sibi rei veritatem, optimum & efficacissimum erit argumentum. Nam hoc argumentationis loco Paulus usus est, volens probare licitum esse his, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere: quia qui in veteri illo tabernaculo operabantur, vivebant de tabernaculo, & qui altari deserviebant, participabant de altari. Itaque argumentatur Paulus ibi (1. Cor. 11.) ab umbra, & figura ad corpus & veritatem. Cum igitur tam efficax sit, juxta Paulum, hic argumentationis modus, manifeste per illum convincemus plures esse in Ecclesia Catholica ordines, varioque esse gradus eorum, qui in altari ministrant. Nam ad ministerium illius tabernaculi veteris, varii ordines diversisque gradus fuerant à Deo instituti, ita ut unus esset Pontifex, aut Sacerdos summus, alii Sacerdotes minores, alii Levitæ, qui etiam Sacerdotes non essent, altari tamen ministrabant. Quæ ad Sacerdotem pertinent suam, & quæ ad inferiores atinent, describuntur in Exodo, (cap. 17.) ubi alia officia, aliaque vestimenta summo Sacerdoti, alia inferioribus Sacerdotibus tribuuntur. Supra caput Aaron, & cuiuslibet alterius summi Sacerdotis fufum est sanctæ unctionis oleum. Pilius Aaron minores Sacerdotes, & illorum successores non sunt in capite, sed solum in manibus oleo sancto uncti. Tunice istorum erant lineæ, summi vero Sacerdotis ornatus erat ex auro, hyacintho, purpura, gemmisque pretiosis confectus. De ritu consecrationis Levitici ordinis habetur in Levitico libro, in quo est unus omnium Levitarum consecrationis ritus describitur, diversæ tamen illis distribuuntur officia. Nam in tres classes sub suis capitibus & principibus distribuuntur, & suum unicuique locum in excubiis & ministerio assignatur, juxta Sacerdotum imperium. Si tantus fuit ordo, tanque distinctus in illa veteri figura, opus est, ut concedamus varium esse ordinem claræque distinctum, eorum qui in altari ubi nunc Bucharitia consecratur, ministrare debent. Nisi forte Ecclesiam Catholicam consistissimam quendam Babylonem, in qua nullus sit ordo, facere velimus, cum tamen synagogam illam veterem, quæ hujus typtum te-

net, velut nobilissimam quamdam civitatem ordinatissimè constitutam fuisse, apertissime constat. Quod si quis tam impius & tam effrons est, ut id fatari non vereatur, is certe, aut sapientiam, aut potentiam, aut denique bonitatem cogetur minere divinitus: quia videlicet fatari cogetur Deum, aut nescisse, aut non potuisse, aut denique noluisse talem formare Ecclesiam suam, qualem prius adumbrat & delinearat in illo veteri populo. Certe cum multo præstantius sit sacrificium, quod nunc à Sacerdotibus Ecclesiæ offertur, quam sint sacrificia omnia veteris legis, oportebat, ut major honor illi præstaretur, & major etiam ordo in illius ministerio servaretur, & ministrorum ordines ad illius administrationem plures deputarentur. Omitto hic minores ordines, quoniam etsi de illis apud vetustos auctores non parva fiat mentio, tamen plures Theologi non admittunt minores ordines intra Sacramentorum numerum: quapropter nec etiam vocantur ordines sacri: immo de subdiaconatu Hugo de Sancto Victore censet non esse Sacramentum, quamvis alii intra Sacramenti limites etiam collocent. De hac re non nihil supra tetigimus in titulo de Episcopis: quo loco ostendimus Episcopum ex Christi institutione esse dignitate & potestate majorem simplici presbytero. Diaconos Apostolica historia narrat fuisse ab Apostolis ordinaros. Immo de aliis omnibus ordinibus constat fuisse in Ecclesia eorum officia, & nomina tempore Apostolorum. Nam beatus Ignatius discipulus Sancti Joannis Evangelistæ, in epistola ad Trallianos extollit dignitatem Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum. Et in epistola ad Antiochenes hæc verba refert: *Saluto sanctum Presbyterum vestrum, saluto sanctos Diaconos, saluto Subdiaconos, lectores, cantores, ostiarios, laborantes, exorcistas, atque confessores.* Hæc ille Canones Apostolorum videntur etiam innuere discrimen inter Episcopum & Presbyterum, Diaconum, Subdiaconum, lectorem & cantorem. Hoc patet canone 42. & 43. At Apostolorum canones per Clementem traditi, tantæ sunt auctoritatis, ut beatus Damascenus illos inserat eathalogo librorum canonicorum sacre scripturæ. Ut ergo jam finem huic negotio imponamus, producere oportebit testimonium Concilii Carthaginensis quærii, quod omnes ordinis gradus describit, & modum quo illorum ordinatio facienda sit, decernit. Nam capitibus primo & secundo suorum decretorum assignat modum, quo ordinandus sit Episcopus: capite tertio agit de ordinatione presbyteri: capite quarto, de ordinatione diaconi: capite quinto, de ordinatione subdiaconi: capite sexto, de ordinatione acolythi: capite septimo, de ordinatione exorcista: capite octavo, de ordinatione lectoris: capite nono, de ordinatione ostiarii. Quorum omnium decretorum verba citare omisit causa prolixitatis vitanda, factis existimans ostendisse locum lectoris. Qui de hac re amplius nosse cupit, legat Hugonem de sancto Victore, libro secundo de Sacramentis, partem tertiam: quo loco Doctor ille non spernendæ auctoritatis de singulis ordinibus pertractat, eorum omnium potestatem & ordinationem declarans. Ex his quæ diximus convictus remanet Græcorum & Valdensium error. Valdenses enim (ut Guido illis impingit) dixerunt esse tantum tres ordines in Ecclesia, diaconum videlicet, presbyterum & Episcopum. Verum Eneas Sylvius, libro de origine Bohemorum, capite 35. errores Valdensium recensens, numquam hujus erroris meminit, immo alium illis tribuit, qui